

quando poterit, nullus possit saluus esse... s. loco non minus detestatur & horremus, quod ita exarsit adversus eos, qui aeterno interitu sunt digni, ut dixeris eos tam irrevocabiliter, & incommutabiliter perditioni esse predestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis & inconvertibilis est: & Episcopus, ad quos scribit, quasi misericorditer adhortaris, ut hoc predicent populis, ut quia jam praesentem damnationem evadere non possunt, saltem aliquantulum Deo supplicent & humiliantur, ut status eis vel modicum mitiget & leviget penas. Obsecro, ubi haec unquam in Scripturis Sacris legitur? ubi in sanctis & Catholicis Ecclesiae Doctoribus invenitur? Cur non similiter Diabolum & Angelos ejus exhortaris, ut quia statutam damnationem evadere non poterunt, jam nunc interim rem & deprecantur Dominum ut eis mitiores & tolerabiliores fiant aeternae poenae? Aut quid amplius istis relinquis, quos similiter irrevocabili sententia damnatos asseris? Deinde acriter reprehendit Goteschalcum, quod Sacerdotes Dei et Rectores Ecclesiarum tantis injuriis et conviciis & maledictis lacerat, tanto despectu et contumacia conculcat.

Hoc Amolius testimonium adversus Goteschalci errores palmare est; cui nihil aliud reponit Maginus, quam quod haec Amolius Epistola non sit contra genuina Goteschalci scripta, sed contra scripta, quae Hincmarus falso & fraudulenter supposuerat Goteschalco. Hanc autem atrocem accusationem adversus Illustrissimum Archiep. his rationibus probare tentat Praeses: 1. Quia Goteschalco, in carcere incluso sub potestate Hincmari & ejus satellitum, liberum non erat scribere, nisi quod & quando placeret Hincmaro. 2. Dogmata, quae Amolo Goteschalco exprobat, ita aliena sunt a doctrina Goteschalci, ut nihil simile continetur in ejus professionibus fidei, nec quid simile illi unquam objecerit Hincmarus. 3. Non est verisimile, Goteschalcum scribeantem ad Archiep. Ecclesiae Praesules conviciis onerasse. 4. Quia Goteschalcus jussus fuerat sua scripta comburere in Synodo Carisiaca. Haec, si vera forent, probarent quidem scripta, quae impugnant Amolo, esse Goteschalco supposita; sed non probarent Hincmarum esse Auctorem hujus suppositionis, quod tamen probandum incumbit Magino, ut a reatu calumnie absolvatur. Sed

Ad 1. fatetur Maginus, Goteschalcum scripsisse in carcere duas professiones fidei, quidni potuit & alia scribere? Et revera plura scripsisse, constat ex Hincmaro, qui libr. De non trini Deitate. n. 17. de Goteschalco dicit: *Scriptis alia multa ridicula, quae apud fautores suos, quibus ea servanda fraudulenter donavit, invenimus.* Et Ep. ad Egilonem dicit, quod Monachus Guntbertus se Goteschalco conjunxerat, et litteras ei dederat, et ab eo acceperat. Insuper dato gratis, Goteschalcum in carceratam nihil scripsisse ad Amolonem, Amolo testatur se aliunde etiam accepisse scripta Goteschalci: scripsit autem Goteschalco antequam in carceratam Matcaudo, Jone, Lupo Servato, item contra Rabanum, & alia, quorum exemplaria volabant inter eos, quos in partes suas trahere conatus fuerat.

Ad 2. R. Goteschalcum in confessionibus fidei fraudulenter dissimilasse mentem suam circa praedestinationem necessitatem, voluntatem in Deo de salute hominum & morte Christi restrictas ad aliquos, quae tamen falsa dogmata ore & calamo alibi docuit, etiam post datas fidei professiones, ut patet ex ipsa ejus Ep. ad Amolonem, quae istis fidei professionibus est posterior. Non ergo ex professione fidei dignoscitur certo mens orthodoxa profitentis (quod est altera objectio Magini) si ista professio sit ambigua, subobscura, nec priorum errorum revocatoria, quales erant professiones Goteschalci; & praesertim si profitemis post datas professiones pristinos errores iterum defendit, ut fecit Goteschalcus. Hincmarum autem non impugnas in Goteschalco, quae illi tribuit Amolo, falsum est quam maxime. Legatur Hincmarus Ep. 17. ad Nicolaum I. SS. Pontificem, et Ep. 24. & 25. ad Egilonem.

Ad 3. omnino credibile est, quod is, qui eo imprudentiae devenerat, ut Episcopos praesentes Carisiaci atrocissimis injuriis affecerit, scribens ad Archiep. eos absentes conviciis oneravit.

Ad 4. esto Goteschalcus in carcerandus jussus fuerit comburere sua scripta, alia in carcere elucubravit, quae transmisit Amoloni. Item esto nihil scripsit in carcere, (quod habente adversario prois falsum est) non habebat penes se omnium, quae prius scripsit exemplaria, quae ex mandato Synodi combureret, & ea se ex viis Ecclesiasticis accepisse dicit Amolo. Sed tandem finge, Goteschalcum proximè in carcerandum habuisse penes se priorum scriptorum suorum omnia omnino exemplaria, nec ea tamen omnia jussus est comburere, sed dumtaxat Libellum, in quo sententias Scripturarum sive SS. Patrum sibi collegerat, quas in Concilio offeret, inquit Auctor libri de tribus Epistolis.

Prob. 4. ex ipsis Goteschalci scriptis, quae supersunt,

scilicet ex libello contra Rabanum, cujus fragmenta refert Hincmarus libr. de praedestinatione; ex ejus professione fidei tradita Rabano, & ex ejus Ep. ad Amolonem. Circa praedestinationem, in libello contra Rabanum dicit: *Sicut electos omnes praedestinavit ad vitam per gratiam solius gratiae suae beneficium.* Sic nimirum & reprobos quosque ad aeternae mortis praedestinavit supplicium, per justissimum videlicet incommutabilis justitiae suae iudicium. Apud Hincmarum libr. de praedest. c. 5. Et in chartula suae professionis data Rabano: *Sicut Deus incommutabilis ante mundi constitutionem omnes electos suos incommutabiliter per gratiam suam praedestinavit ad vitam aeternam; similiter omnino omnes reprobos, qui in die iudicii damnabuntur propter ipsorum mala opera, idem ipse incommutabilis Deus per justum iudicium suum incommutabiliter praedestinavit ad mortem meritum sempiternam.* Quamvis in his, statuendo omnimodam paritatem (similiter omnino) inter praedestinationem ad vitam & praedestinationem ad mortem, jam satis innuat, quod, sicut Deus praedestinando ad vitam efficit bona opera in electis, sic praedestinando ad mortem efficit mala opera in reprobis; hunc tamen sensum, praedestinationemque necessitantem apertius explicat in Ep. ad Amolonem, in qua dicit: *Omnes illi, qui ad sinistrae ponendi sunt in die iudicii... ita sine divinitus ad interitum praedestinati, ut eorum prois nullus aliquando poterit, nullus possit saluus esse. Et eos tam irrevocabiliter & incommutabiliter perditioni esse praedestinatos, sicut Deus ipse est incommutabilis & inconvertibilis.* Quae si conferas cum istis, quae dixit in Concilio Mogunt. *Quaedam esse, qui propter praedestinationem Dei, quae eos cogit in mortem ire, non possint ab errore & peccato se corrigere;* palmam fit, Goteschalcum docuisse praedestinationem, quae imponat necessitatem, & quae proinde sit praedestinatio non ad poenam tantum, sed etiam ad culpam. Circa voluntatem Dei de salute hominum, in libello contra Rabanum: *Omnes, quos vult Deus salvos fieri, sine dubitatione salvantur; nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri.* Apud Hincmarum c. 24. Circa eandem Dei voluntatem & mortem Christi, in eodem libello contra Rabanum: *Illos omnes impios & peccatores quos proprio fuso sanguine Filius redimere venit, hos omnipotentis Dei bonitas ad vitam praedestinatos irrevocabiliter salvandi, tantimmodo vult: Illos omnes impios & peccatores, pro quibus idem Dei Filius nec corpus assumpsit, nec orationem, nec dico sanguinem fudit, neque pro eis ullo modo crucifixus fuit, quippe quos pessimos futuros esse praesciit, quosque justissime in aeterna praecipitanda tormenta praesentavit, ipsos omnino perpetui salvandi penitus vult.* Et in Ep. ad Amolonem: *Neminem perire posse, Christi sanguine redemptum.* Ex quibus patet, Goteschalcum censere Deum nullo sensu velle salutem omnium, & Christum mortem appetisse pro omnibus. Insuper in Ep. ad Amolonem dicit: *Baptismum & alia Sacramenta frustratorum & perfactorum tibi dari, qui post eorum perceptionem perierunt; & qui ex numero fidelium perierunt, Christo & Ecclesiae incorporatos non fuisse, quando ad percipiendam regenerationis mysteria accesserunt.* Circa liberum arbitrium, in libello contra Rabanum, ipsum accusat semi-Pelagianismi, eo quod docuerit liberum arbitrium necessitate non compelli, & per gratiam sanari, praeventi, & juvari ad bonum: *Te potius, inquit, ejusdem Catholicissimi Doctoris (Augustini) fructuosissimae assertionibus incomparabiliter inde quoque malueram nisi, quam erroneis opinionibus Massiliensis Gramadii, apud Hincmarum c. 21.*

Prob. 5. argumento quidem negativo, sed ut nobis videtur, peremptorio. Si Goteschalcus, ut volunt ejus Patroni, sensum & doctrinam Aug. dumtaxat docuit, & intendit, nunquam vero quatuor praesertim errores ipsi attributos, & propter quos fuit in duplici Concilio damnatus, excommunicatus, & in carceratam: Quare quare illos errores non ejuravit? Quare saltem non reclamavit eos sibi falso imponi? Quare doctrinam contrariam nunquam professus est? Nihil enim horum fecit Goteschalcus, quamvis a suis Judicibus, & aliis saepe de his requisitus sub certa promissione, ipsum ab omnibus censuris, & penis absolvendi, atque in pristinum statum restituendi. Nullus est profecto prudens, & quis, aequi hoc ejus silentium in his circumstantiis pro confessione non habet.

Si opponas Ecclesiam Lugdunensem, Retramnum, Prudentium Trecentum, Lupum Servatum, & alios, qui Goteschalco favebant, eumque ut ab errore immunem defendebant. R. eos errore facti Goteschalci mentem non attigisse; itaque opponimus Nothingum, Rabanum, Hincmarum, Amolonem, omnesque Patres Conciliorum Moguntini & Carisiaci; item ipsa scripta Goteschalci, & ejus silentium tunc, cum debuisset loqui & criminationem amovere.

DISSERTATIO VIII.

DE PRÆDEFINITIONIBUS, SEU DECRETIS DIVINIS circa actus nostros liberos.

RES naturales, tam necessarias, quam contingentes, sicut in tempore a Deo producuntur, ita ab aeterno ab ipso fuisse volitas, & praedefinitas; communis est sententia: praesertim cum nulla in eis periclitetur libertas, quae unica ferme ratio est, cur a multis id negetur de actibus nostris liberis. De his ergo solum hic vertitur quaestio.

ARTICULUS I.

Varie sententiae cum statu quaestioni exponuntur.

Quamvis omnes scientiae mediae defensores in hoc consentiant, nullum esse in Deo decretum ex se, & ab intrinseco infallibiliter efficax circa actus nostros liberos, & ejus loco statuant decretum indifferens, dissentiant tamen inter se circa modum adstruendi in Deo hoc decretum indifferens. Molina, Lessius, & alii plures docent, unicum esse decretum generale indifferens concurrenti cum voluntate creatura; Deum autem per scientiam mediam praescire, ad quid voluntas creata sub tali concursu se determinabit. Sed jam hic discordia. Quidam enim volunt, hoc decretum esse conditionatum, si nempe creatura se determinaverit, cujus conditionis purificatione praevisa per scientiam mediam, transit in absolutum, & producit in tempore concursum ad extra absque eo, quod opus sit alio decreto. Alii contendunt, hoc decretum esse absolutum, scilicet concurrenti ad quodcumque creatura se determinabit, non vero concurrenti si creatura agit: Quia alioquin, inquit, & bene, cum Dei concursus in actu secundo realiter identificetur actioni creaturae, praesupponeret suum objectum ex parte conditionis, adeoque esset nugatorius, sicut foret hoc votum, voveo jejunare, si jejunem; imò est absolutum, & aliquo modo determinatum ad actiones in particulari, non tamen determinatione ultimam, sed sub distinctione, sicut Deus dicit: Volo hoc instanti addecere potentiam meam Petro, ut ea pro libitu utatur, vel ad actum amorem A, vel ad actum odii B, vel ad libitum cessandum ab utroque; & sic de aliis: sic enim commodissime intelligitur fieri exhibitio concursus in actu primo cum determinatione ad individuum, illa libertate creatura; quare potest dici conditionatum aequivalenter. Ita in terminis Platelii nuperus Scripser Societ. c. 4. de voluntate Dei n. 166. Et praeter hoc decretum, inquit, non datur aliud concomitans concurrenti in actu secundo; nam esset superfluum, cum supposito decreto concurrenti in actu primo Deus absque nova voluntate sufficienter determinaretur ad hic & nunc concurrentium in actu secundo, per hoc quod creatura seipsam, & potentiam Dei sibi applicat, & veluti permissam, ad operandum determinet.

Alii tamen agnoscunt secundum decretum, & hoc absolutum, quo nempe Deus postquam per scientiam mediam praevideat, ad quem actum voluntas creata sit se determinatura sub concursu generali per primum decretum oblatum, absolute vult hunc actum, & decernit concurrere determinate ad illum. Ita Congruistae. Juxta priores sententias actus nostri sunt quidem a Deo praesciti, non tamen proprie in se, & immediate praedefiniti, sed tantum in ipso concursu generali, & indifferenter oblatum. Juxta ultimam, sunt quidem praedefiniti, sed ista praedefinitio, ut patet, non est se infallibiliter efficax, sed ex consensu praevio per scientiam mediam; neque est decretum determinandi voluntatem ad hunc actum, sed concurrenti simultaneè ad illum in istis circumstantiis, in quibus praevisa est se determinatura. Si daretur decretum concurrenti in actu secundo, inquit Platellius cit. ut multi et nostris probabiliter admittunt, non offerret libertati creaturae, quia creaturae determinationem pure concomitantem, nullo modo inferret. Hanc ultimam sententiam, alii alegatis, defendit a Professoribus Societ. jussit generalis Praepositus Aquaviva post habitas Congregationes de Auxiliis, ut jam observavi: & quamvis Platellius n. 174. dicat, hunc Generalem dispensasse postea in suo decreto, & liberum reliquisse suis Patribus utramvis sententiam eligere; hoc tamen decretum invenimus confirmatum a duobus ejus successoribus, scilicet Vivesco, & Piccolomini.

Altera sententia est P. Francisci Henno Theologi Scotistae, qui Tract. de Deo d. 8. q. 5. agnoscit decretum in Deo, quod nec infert promotionem physicam, nec supponit scientiam mediam, sed est, inquit, praescit decretum efficax; quo Deus vult

actum liberum, antequam velit, & sciat determinationem liberi arbitrii creati, & media, per quae talis actus debet fieri. Qui potes capere, capiat: non enim videtur nobis intelligibile, Deum velle Petrum ponere actum amoris, & non velle, neque scire Petrum esse determinatum ad amorem, quasi vero posset concipi amor procedens a Petro non amante. Hoc decretum vocat ibid. praedefinitum, non hoc sensu, quod haec particula praesignificet antecessorem causalitatis, aut temporis, sed antecessorem dumtaxat praedestinationis, & praesentiae mediorum ad actum. Et q. 8. concl. 2. vocat illud concomitans actionem creaturae, quia non prius Deus ponit effectum communem in tempore, seu non prius exequitur id, quod praedestinatum, quam agit creatura; ita ut Deus, & creatura respectu ejusdem effectus sui concensus, & principia, condeterminantes, sicut duo homines respectu progressus navis, quam simul, & semel trahunt... Dicitur condeterminans, seu concomitans, quia autem actionem communem nihil ponit in creatura, nec prius agit Deus, quam coagat creatura. Ita in terminis laudatus Auctor.

Igitur juxta hoc systema Deus nullo modo est causa determinationis creaturae liberæ. Non est per suum decretum ab aeterno, quia per illud, inquit Henno, non vult hanc determinationem, & non dicit prioritatem causalitatis. Neque per concursum concomitantem in tempore; quia juxta eundem Auctorem, dicitur concomitans ex eo, quod Deus nihil ponit in creatura, antequam illa coagat; & sunt sicut duo trahentes navim, quorum neuter determinat alterum ad trahendum, sed simul dumtaxat trahunt, ita ut tota tractio passiva sit ab utroque partialiter concurrente, non vero se condeterminante. Et alius, si iste concursus concomitans foret causa determinationis creaturae, non esset tantum concomitans, sed esset etiam praevius; omnis enim causa est prior suo effectu natura & causalitate, neque nos aliud intelligimus per praemotionem physicam. Unde quaecumque diximus & dicemus contra systema Molinianum, quantum ex hoc capite, militat contra praesens systema.

Uterius sequitur ex illo, quod Deus temerè, & fortuito concurrat cum creatura, exponitque se periculo frustrandi & decretum & concursum; quando enim duae causae liberæ simul concurrunt ad eundem effectum, si una non sibi subiciat & subordinet alteram, vel aliunde non praesciat, quid & quando altera est actura, casu & fortuito procedit se illi coniungendo, exponitque se periculo non assequendi effectum, si altera non lit; atqui Deus in praesenti systemate non sibi subicit creaturam liberam per decretum concomitans, quia ejus determinationem non attingit, nec media, quibus est determinanda; neque per concursum concomitantem, quia nihil in ea agit, antequam agit; neque etiam praescit, quid & quando sit actura; in quo enim id praescit? Non in suo decreto, quia juxta Henno decretum non attingit determinationem, seu consensum voluntatis creatae. Non extra decretum, quia hoc esset admittere scientiam mediam, quam rejicit.

Fatetur laudatus Theologus quaest. 7. in fine, ex parte causae primae requiri, ut sciat concursum causae secundae, antequam inchoetur, ut sciendo instans, in quo vult causa secunda agere, possit etiam eodem instanti coagere. Et eadem q. 7. post 3. prob. & quaest. 8. in Resp. ad obj. 4. dicit, Deum certo & infallibiliter cognoscere futurum consensum, seu determinationem hominis, quatenus, nescit a fundo per scientiam simplicis intelligentiae inclinationem, & propensionem creaturae in talem, vel talem actum, & aliunde mediorum suorum sive naturalium, sive supernaturalium vim, & efficaciam.

Sed contra: Quantum ad 1. membrum, Resp. hoc esse confingere cum Molina ad comprehensionem causarum; probavimus autem, dum de scientia futurorum, Deum in causis etiam comprehensis; & supercomprehensis, non posse certo, & infallibiliter cognoscere, quod in eis non continetur; & in causis creatis secundum se indifferentibus, & indeterminatis nullum effectum certo, & determinate futurum contineri. Quantum ad secundum membrum, Resp. Deum juxta systema Theologi Franciscani nullum medium creaturae conferendum agnoscere, in quo possit certo, & infallibiliter consensum ejus futurum praescire; siquidem omnis gratia praeveniens, juxta ipsum in Tract. de Grat. d. 2. quaest. 1. in fine, est gratia dumtaxat moraliter excitans; & hic quaest. 7. post 3. probationem cru-

crude dicat, seu purus Molinista, Deum decernere dare ipsi (creaturae liberae) media ad effectum indifferentem, imò et exhibere concursum indifferentem ad consensum, et dissentium. Ex quibus patet, hunc Scottistam, dum videri vult recedere a systemate Thomistico, & Moliniano, revera impingere in Molinismum, & iisdem, imò majoribus difficultatibus implicari. Neque existimamus, posse dari medium. Vel enim Deus vi potentissima, & efficacissima suae voluntatis est causa determinationis creaturae liberae; vel non. Si primum, est sententia Thomistarum; si secundum, est sententia Molinistarum, saltem quantum ad substantiam.

Suscipimus igitur in hac dissertatione discutiendum 1. An Deus praedefiniverit omnes nostras actiones, non solum mediatae, & virtualiter decernendo exhibere concursum ad illas, sed etiam immediate in seipsis? Deinde, a quo repetenda sit infallibilitas, & efficacia divinarum praedefinitionum, seu decretorum; an a potentissima Dei voluntate, & dominio, quod habet in voluntates nostras; an a consensu voluntatis praevio per scientiam mediam? Item quomodo divina decreta se habeant circa actus nostros malos; & tandem ad quomodo, si sint ex se efficaciam, conciliantur cum libertate arbitrii? Haec quaestiones intime sunt connexae, imò ferme eadem cum celeberrima illa quaestione de gratia per se efficaci; quo enim modo Deus ab aeterno decernit, sic in tempore agit. Unde, si divinorum decretorum infallibilitas sit ab omnipotentissima, & efficaci ejus voluntate atque dominio, quod habet in nostras voluntates, & non a consensu voluntatis praevio; ita & gratia, per quam in tempore exequitur, quod ab aeterno decrevit.

ARTICULUS II.

An, & quomodo Deus ab aeterno praedefiniverit omnes actiones nostras liberas?

Dico: Deus ab aeterno praedefinivit omnes actiones nostras liberas, non solum virtualiter, & mediata decernendo exhibere concursum ad illas; sed immediate in seipsis. Aliter tamèn, & aliter bonas, & malas, bonas positive quoad entitatem, & bonitatem, malas positive quoad entitatem, & malitiam, ut explicabitur infra. (Hic q. 22. art. 2. o. quaest. 25. art. 5. ad 1. quaest. 116. art. 1. o. Quodlib. 72. quaest. 3. art. 4. o. et alibi.) Est contra Molinam, Lessium, & plures alios ejusdem Societ.

Prob. 1. ex Scriptura. Ad Ephes. 2. Ipsius factura sumus creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae preparavit (Id est praedestinavit, juxta Aug. de Praedest. Sanct. c. 10.) Dehs, ut in illis ambulemus. Psalm. 113. Omnia quaecumque voluit, fecit. Act. 22. Deus praedestinavit te ut cognosceres voluntatem ejus. Eph. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Ibidem: Operatur omnia secundum consilium, id est decretum, voluntatis suae.

2. Ex Patribus: S. Dionys. de divin. Nom. c. 5. dicit: Exemplaria dicimus in Deo rationes substantificas, quas Theologi praedefinitivas vocant, & divinas, & bonas voluntates existentium praedeterminativas, secundum quas omnia praedefinunt, & produxerunt. Ubi obiter adverte quam inconsulto Molinistae effutiant, nomen Praedeterminationis esse inventum Bannesii. Chrysostomus serm. 1. in Epist. ad Ephes. Divina ratione cuncta dispensata sunt, & praedefinita, idque per multam erga nos providentiam. Aug. in Ench. c. 95. Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit. Et de Praedest. Sanct. c. 10. Quando promissus Deus Abraham in semine ejus fidem gentium, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promissus. Totus est Aug. in hoc libr. ut probet Deum omnia bona opera nostra praedestinasse.

Neque dicas, haec omnia posse intelligi de praedefinitione virtuali, & mediata in decreto concurrendi: nam 1. non concursus dicitur praedefinitus, sed ipsa opera dicuntur praedefinita. 2. & praecipue, ii, contra quos agimus, intelligunt de concursu indifferenti ad utrumlibet; nihil autem potest dici praedefinitum, & praedestinatum in causa indifferenti ad utrumlibet, quia praedefinitio, & praedestinatio est velle aliquid certo, & determinate. Et si intelligeretur de concursu determinato ad hunc actum, non posset intelligi praedefinitus concursus, nisi intelligeretur praedefinitus actus; quia concursus praedefiniretur ut medium ad actum; finis autem prius intenditur, quam medium, nec medium eligitur nisi ex intentione finis.

3. Ratione (Hic quaest. 25. art. 5. ad 1.) Non potest esse, quod Deus aliqua faciat, quae non praesciverit, & praordinaverit ab aeterno se futurum: ideo enim Deus aliquid facit, quia vult, & non incipit velle in tempore; atqui Deus omnia, etiam actus nostros liberos, facit: Isai. 26. Omnia opera nostra operatur in nobis. Ad Philipp. 2. Operatur in nobis & velle, & perficere. Ad Rom. 11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ergo.

4. Ab inconvenientibus. Ex systemate, quod impugnamus, in quo Deus non aliter praedefinit actus nostros liberos, quam decernendo concurrere cum voluntate ad quodlibet voluerit se determinare, sequitur 1. Quod Deus non magis velit bonum opus, quam malum. 2. Quod unus pro alio se discernat in opere salutis. 3. Quod, qui bene agit, non plus accipiat a Deo, nec plus illi obligetur, quam qui male agit. 4. Quod Deus non sit causa nostrae determinationis ad bonum. 5. Quod non sit primum ens, prima causa, primus motor. 6. Quod aliquid subterfugiat ejus causalitatem. 7. Quod nihil sit assignabile, in quo Deus certo cognoscat futura. 8. Quod non satis recedat a doctrina semi-Pelagianorum. Haec, inquam, & alia plura, quae deducimus contra decreta indifferentia, militant contra hoc systema, & multo efficacius, quam contra systema Congruistarum.

Si dicas, quosdam SS. Patres, Damascenum, Nyssenum, & alios docere actiones nostras non esse a Deo praedefinitas. R. cum S. Thom. (Hic quaest. 33. a. 1. ad 1.) laudatos Patres nomine praedefinitionis, & praedeterminationis intelligere impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quae sunt praedeterminata ad unum sine potentia ad oppositum; quod patet ex eo, quod subdit Damascenus: Neque compellit ad virtutem: seu, ut fert alia versio: Neque virtuti vim affert.

Alia, quae objicit Lessius, nempe his decretis praedefinitionibus fatum induci, libertatem tolli, spem everti, teporis occasionem praebere, exhortationum necessitatem evacuari, & similia, recurrunt, & solvuntur art. seq.

ARTICULUS III.

Unde repetenda sit infallibilis efficacia divinorum decretorum circa actus nostros liberos?

§. I. Vera sententia asseritur, & auctoritate probatur.

Quamquam, ut jam non semel notavi, plures Societ. Professores rejiciant Molinam, & Lessii sententiam de unico generali decreto, & unica aequali voluntate concurrendi, ad quod voluerit voluntas creata se determinare; atque ex mandato suorum Praepositorum Generalium admittant cum Suaere secundum decretum absolutum, quo Deus, postquam praevit conditionate per essentiam mediam voluntatem, si ponatur in certis circumstantiis cum oblato concursu generali, consensuram in opus bonum, ex intentione hujus operis decernit eam ponere in his circumstantiis, & cum ea ad hunc actum concurrere; istud tamèn decretum, ut patet, & jam notavimus, non est infallibile, & efficax vi voluntatis divinae, sed ex ipsa praesentia, seu ex praevio voluntatis consensu. Et licet concursus, qui hoc secundo decreto decernitur, sit quid majus in ratione doni, & beneficii, quia Deus decernit illum offerre in iis circumstantiis, in quibus praevit voluntatem consensuram, cum posset offerre in aliis, in quibus praevit non consensuram, non est tamèn quid majus in ratione virtutis, & auxiliil; est enim idem concursus secundum se indifferentis, cui praevia est voluntas ex se consensura, non determinans voluntatem, sed ab ipsa determinabilis. Uno verbo, prius decretum expectat consensum, secundum supponit praevium, neutrum autem dat, seu causat. Unde, quamvis Congruistae aequaliter differant a puris Molinistis, in eodem tamèn luto semper haerent, statque juxta ipsos Deus non esse verè, & proprie causam boni operis. Igitur contra hos omnes

Dico: Infallibilis efficacia divinorum decretorum circa actus nostros liberos, maxime bonos, est ab omnipotentissima Dei voluntate, & supremo ejus dominio, quod habet in voluntates hominum, & non a consensu praevio; seu, ut alii dicunt, divina decreta circa actus nostros liberos sunt ex se, & ab intrinseco efficacia, non secundum se indifferentia. Ita omnes ferme Theologi, exceptis defensoribus scientiae. Licet enim non omnes eodem modo hujus infallibilitatis executionem in tempore explicent, aliis pro causalitate physica, aliis pro morali, aliis pro congruitate, aliis pro delectatione, aliis pro sympathia docerantibus; omnes tamèn referunt ad virtutem, & efficaciam divinae voluntatis, & non ad aliquid ex parte nostra conditionate praevium, antequam Deus id nobis dare decreverit.

Prob. ex Scriptura. 1. Esther 13. Mardocheus orans Deum, ut convertat cor Regis Assueri Judaeis infensi dicit: Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuae resistere voluntati, si decerneris salvare Israel... Dominus omnium es, nec est qui resistat Majestati tuae. Et cap. 14. Regina Esther sic orat: Domine Rex Deorum, & universa potestatis, transfer cor illius in odium hosti nostri. Et cap. 15. subjungitur: Convertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem. Quibus verbis infallibilitas, & efficacia di-

divini decreti, seu voluntatis Dei referunt evidentè ad ejus omnipotentiam, & non ad consensum Assueri praevium. Unde Aug. 1. ad Bonif. c. 20. accipiens haec verba dicit: Cor Regis... occulit, & efficacissimam potestatem convertit, & transiit ab indignatione ad lenitatem.

2. Proverb. 21. Cor Regis in manu Dei comparatur divisionibus aquarum in manu Hortulani: Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud. Ecclesiastici 33. homo in manu Domini comparatur luto in manu finguli: Quasi lutum finguli in manu ipsius, plasmat illud, & disponere. Omnes viae ejus secundum dispositionem ejus; Sic homo in manu illius, qui se fecit. Isai. 10. comparatur securi, virgae, baculo in manu hominis, iis utentis prout vult: quibus comparationibus manifestum fit, Deum vi suae potestatis, & domini de voluntatibus hominum disponere; non verò ab eis expectare, seu supponere quod voluerit. Unde, postquam Isaias cap. 14. multa praedixit per homines exequenda, ut quod Israelite iterum redirent in terram suam; quod possidebant advenas in servos, & ancillas; quod erunt capientes eos, qui se ceperant; quod subdicerent exactores suos, &c. subdit: Dominus enim exercituum decrevit, & quia poterit infringere! & manus ejus extensa; & quis avertet eam? per manum autem intelligitur omnipotentia Dei, juxta illud Psalm. 92. In manu ejus sunt omnes fines terrae.

3. Juxta Scripturam Deus facit ut faciamus, Ezech. 36. Faciam ut in praecipit meis ambuletis. Facit ut velimus, ad Philipp. 2. Operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate. Facit de nolentibus volentes, auferendo duritiam & resistantiam voluntatis, & dando obedientiam seu consensum, Ezech. 11. & 36. Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Unde Aug. de Praedest. sanct. c. 8. Haec gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur; atqui id Deus infallibiliter praestat non potest per decretum concurrendi indifferentè ad velle vel nolle, ad consensum vel dissentium, seu per decretum quod expectat aut supponat consensum & duritiam ablatam, cum ipse & consensum det, & duritiam auferat. Adde, quod per decretum concurrendi Deus non decernat ut faciamus, sed nobiscum facere cum faciamus; neque ut velimus, sed nobiscum velle cum voluerimus.

4. Juxta Apostolum, discretio in opere salutis repetenda est ex parte Dei, & non ex parte hominis; atqui in systemate decretorum indifferentium homo in opere salutis se discernit ab alio: ergo. Hoc argumentum sat fuscè deductum require §. 3. de scientia media cum Responcionibus adversariorum.

Prob. ex Conciliis, & Patribus. Conc. Arausicanum 2. Can. 20. dicit. Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo; nulla vero facit homo bona, quae non Deus praestat, ut faciat homo. Idque probat can. 25. ex Scripturis mox laudatis. Celestinus Papa Ep. ad Episcopos Galliae in fine. Sic consistenda est Dei gratia, ut ejus operationi & dignitati nihil penitus subtrahatur. Cyprian. 1. 3. ad Quirin. c. 4. In nullo gloriantium est, quando nostrum nihil est. Basil. Hom. 22. de humilit. Nihil tibi relictum est, o homo, de quo gloriaris possis, per universum enim in gratia & dono Dei vivimus; atqui, si efficacia divinorum decretorum non innitatur omnipotentiae Dei, sed ejus praesentiae; seu, quod idem est, si decreta divina non sint ex se & ab intrinseco efficacia, sed indifferentia, subtrahitur aliquid in bono opere, & quod non est datum a Deo, sed quod a nobis futurum praescitur, nempe & determinatio nostra & consensus in bonum; hic enim non potest esse a decreto indifferenti ad consensum vel dissentium. Responciones, seu potius evasiones adversariorum ad has omnes probationes referemus infra post 1. prob. a ratione, & diluemus.

§. II. Mens S. Augustini.

Immensus forem, si omnia, quae dicit Augustinus in rem nostram, hic referre vellem. Totus est enim S. Doctor in suis scriptis contra Pelagianos, & semi-Pelag. ut probet, efficaciam, & infallibilitatem divinae voluntatis repetendam esse ex ejus omnipotentia, & dominio, quod habet super voluntates hominum. Haec paucè pondero.

1. Libr. de corrupt. & grat. c. 14. sic dicit: Non est dubitandum voluntati Dei, qui in celo, & terra omnia quaecumque voluit, fecit: humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit... Habens sine dubio humanorum cordium, quod placet, inclinandum omnipotentissimam potestatem. Vides, Augustinum infallibilitatem divinae voluntatis non repetere ex praesentia futuri consensu, sed ex omnipotentissima potestate, ac supremo dominio, quod habet in voluntates nostras. Insuper non potest dici in sententia Theol. Billuart. Pars Prima.

opposita, Deum de voluntatibus hominum quod vult, cum vult, facere, & habere cordium, quo placet, inclinandum omnipotentissimam potestatem. Suppone enim hominem, qui in nullis circumstantiis velit converti, id non repugnat ex natura rei, ideoque potest supponi, de hujus hominis voluntate non poterit Deus salva ejus libertate facere quod vult, nec habebit quo placebit eam inclinandi potestatem. Imò, omnia hac hypothese, voluntatem, quam Deus praevit non consenturam in certis circumstantiis, non potest efficere, ut in iisdem circumstantiis consentiat.

2. Augustinus, ibidem explicans quomodo Deus inclinet voluntates, & de iis faciat quod vult, dicit: Intus agit, corda tenet, corda movet, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatur, trahit: si ergo, cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suae: quis alius facit ut salubris sit correctio, & fiat in corrupti corde correctio? Duo hic dicit Augustinus: primum, Deum inclinare voluntates hominum intus operando in eis: ergo non vi decreti indifferentis, nec per concursum simultaneum, neque per motiones morales: non vi decreti indifferentis, quia expectat, aut supponit actionem voluntatis: non per concursum simultaneum, quia non operatur intus in voluntatem, sed coagit cum illa ad effectum, quod ipsa operatur: neque per motiones morales, quia motio moralis non agit intus in voluntate, sed movet objective, & extrinsecè per propositionem objecti factam ab intellectu; nec magis movet quam ipsa bonitas objecti allicit, quae cum sit limitata, non habet cordium inclinandum omnipotentissimam potestatem, ut loquitur Aug. supra. Alterum, quod dicit S. Doctor, est Deum inclinare voluntates nostras, quatenus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas; atqui ex dominio, quod habet homo in voluntatem suam, se determinat efficaciter, & quod capitale est, salva libertate: ergo a fortiori Deus ex majori dominio, quod habet in voluntates hominum, determinat eas efficaciter, salva eorum libertate; aliis quomodo haberet magis in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas? Et hinc ruit penitus in via Augustini praecipuum, & ferme unicum fundamentum sententiae oppositae, peitum ex lesione libertatis.

3. Augustinus libr. de grat. & lib. arbit. cap. 16. explicans illa verba Apostoli: Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere, dicit: Certum est, nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum... certum est, nos facere cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntatibus... cum dicit, faciam, ut faciat, quid aliud dicit, nisi auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis; & dabo cor carneum, ut faciat. Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, unde non faciebatis, & dabo cor obediens, unde faciat. Deus ergo juxta Aug. non solum facit cum volumus, & facimus, quod praestat per concursum simultaneum; sed facit ut velimus, & faciamus, non per simplices motiones morales, quae voluntatem ipsam immutant, sed allicit tantum per propositionem objecti, sed praebendo vires efficacissimas voluntati, quibus cor durum, hoc est ejus resistantia vincitur, & cor obediens, id est ipse consensus, datur, & causatur: ergo voluntas Dei non est infallibiliter efficax ex illo consensu praevio, sed virtute propria, siquidem vi efficacissima creavit illum, & non expectat, aut supponit ab alio causatum.

Respondet Tournely quest. 9. de grat. art. 1. S. Augustinum nihil aliud his verbis intendere, quam probare adversus Pelag. necessitatem gratiae, quae voluntatem ipsam praevient, & allicit, per quam non possit tantum velle, & operari, sed reipsa velit, & operetur. Unam enim, inquit, Pelagiani mentis illustrationem sufficientem esse contendebant. E contra S. Doctor ex infirmitate, per labem originalem contractam in ipsa potissimum voluntate, demonstrabat necessariam prorsus esse gratiam, quae voluntatem sanaret, ac juvaret ad bonum volendum, & faciendum; atque cum sic adjuvat Deus, dicitur in nobis operari velle, & perficere. Haec ille. Sed contra. 1. Equidem S. Aug. intendit probare contra Pelag. necessitatem gratiae, quae voluntatem ipsam praevient, & allicit, sed ita quod illi praebat vires efficacissimas, quod vincat ejus resistantiam, & det obedientiam, & consensum; nullae autem sunt hujusmodi gratiae in Schola Molinae, seu Saurellii, in qua non agnoscentur gratiae praevinentes, nisi morales: haec porro non praebent vires efficacissimas voluntati, neque dant obedientiam, aut consensum, sed ad illum tantum alliciunt, & eum emendicant a voluntate. 2. Falsum est, Pelagium admisisse dumtaxat gratiam moralem intellectus, & non voluntatis. Patet ex verbis Pelagii, quae refert Aug. libr. de grat. Christi cap. 10. ubi Pelagius explicans, quomodo Deus operatur in nobis velle, & perficere, dicit hoc operari, dum nos terrenis cupiditatibus deducos, mutorum more animalium tantummodo praesentia diligentes, futurae gloriae magnitudine, & praemiorum pollicitatione succendit, dum re-

velatione sapientie in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem, dim nobis...suadet omne quod bonum est. Porro gratia succedens, & suscitatur voluntatem, atque suadens bonum proposita magnitudine glorie, & premiorum pollicitatione, est dubio procul gratia non solum illustrans intellectum, sed & movens moraliter voluntatem.

§. III. Mens S. Thomae.

1. Constat doctrina S. Thomae, libertatem, & contingentiam actuum nostrorum non esse a sola voluntate creatam, sed & maxime a voluntate divina tamquam a causa prima, & primo libero. Sic S. Doctor hic q. 19. art. 8. o. Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiat ea, que Deus vult fieri, sed quod eo modo fiat, quo Deus ea fieri vult; vult autem quaedam Deus fieri necessario, quaedam contingenter. Idem isdem fere verbis repetit Opusc. 2. cap. 140. Et hic infra quest. 22. art. 4. ad 3. Modus contingentiae, & necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est provisor totius entis. 1. Perhiera. Lect. 14. Voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa quaedam profundius totum ens, & omnes eius differentias. Sunt autem differentiae entis possibile, & necessarium, & idem ea ipsa voluntate divina originatur necessitate, & contingentiam rebus. 6. Metaph. Lect. 3. Ens, in quantum ens est, habet causam ipsam Deum: unde, sicut divina providentia subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis in quantum est ens, inter que sunt necessarium, & contingens: ad divinam igitur providentiam pertinet, non solum quod fiat hoc ens, sed quod et ei contingentiam, vel necessitatem. Et infra: Sic ergo patet, quod, cum de divina providentia loquimur, non est dicendum solum, hoc est provisum a Deo ut sit; sed hoc est provisum a Deo, ut contingenter sit, vel ut necessario sit.

Ex hoc D. Thom. principio sequitur primo, decretum divine voluntatis circa consensum nostrum liberum non esse indifferens, nec enim expectare, aut supponere, sed esse ex se determinans, & efficacis, cum illum causet magis, quam voluntas creata. Sequitur 2. quod palmare est, istud decretum ex natura sua determinans, & efficacis non tollere, seu ledere libertatem, ut clamant Molinistae, siquidem illam causet, & perficiat; sicut enim voluntas creata se determinans non ledit suam libertatem actualem, quia est causa illius actus liberi, ita a fortiori voluntas divina, que est magis causa actus liberi, quam voluntas creata.

Respondent Molinistae, S. Thom. his testimoniis non velle Deum praedestinare, & causare immediate contingentiam, & libertatem actuum nostrorum, sed mediate tantum, in quantum effectibus liberis, & contingentibus preparavit, & aptavit, id est, produxit causas liberis, & contingentes, ex quibus procedunt effectus liberi, & contingentes. Unde post verba citata ex art. 8. quest. 19. huius 1. partis subiungit: Et idem quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, que deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt. Quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentiter eventant. Quod alibi repetit. Sed contra 1. S. Thom. cit. 1. Perhiera. & 6. Metaph. sic Deus est causa contingentiae, & libertatis, sicut est causa entis; atqui est causa entis non solum mediante virtute creata, quam produxit, sed immediate in se: ergo. Et quest. 22. cit. dicit, modum contingentiae, & necessitatis cadere sub provisione Dei, qui est provisor entis: ergo immediate il. illum induit sicut in ens, & de illo immediate disponit.

2. Hanc responsionem ex professo impugnat S. Doctor quest. 23. de verit. art. 5. ubi cum dixisset: Voluntas divina est agens fortissimum, unde oportet eius effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solum fiat quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem, sed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, ut necessario, vel contingenter, cito, vel tarde. Sic concludit: Et sic non dicimus, quod aliqui divinorum effectuum sint contingentes solummodo propter contingentiam causarum secundarum, sed magis propter dispositionem divine voluntatis, que talis ordinis rebus providit. 3. Hanc causalitatem dumtaxat mediatam in Deo rejicit S. Doctor ut erroneam, & contrariam auctoritatibus Scripturarum 3. contr. gent. c. 89. Ubi impugnat sententiam eorum, qui dicebant Deum dare nobis virtutem volendi, non autem ipsum velle, sic ait: Quibus quidem auctoritatibus sacra Scriptura resistitur evidenter. Dicit enim Isaias 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem. Praeterea hoc ipsum quod Salomon dicit: Quicumque voluerit, inclinabit illud: ostendit non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Item Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nullas res potest propria virtute agere nisi agit in virtute ipsius, ut su-

pra ostensum est: ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quantum agit in virtute Dei. Illud autem, in virtute cuius agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus; quod in artifice apparet, in cuius virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit; sed solum ab ipso applicatur ad actum: Deus igitur est causa in nobis, non solum voluntatis, sed etiam volendi. Et c. 91. addit: Ex his colligere possumus, quid electiones immediate a Deo disponantur. Hoc itaque quod dicit D. Thomas, Deum effectibus contingentibus aptare, & preparare causas contingentes, potest intelligi dupliciter. 1. Quod hoc sit dictum absque praedictio, seu exclusione causalitatis immediate. Equidem hoc ipso, quo Deus vult esse aliquos effectus contingentes, & liberos, necesse est, ut eis aptet, & preparat causas contingentes, & liberas; a causis enim necessariis non procedunt effectus liberi: sed inde non sequitur contingentiam, & libertatem actualem istarum causarum non causari immediate a Deo: neque hoc dicit S. Thomas, sed omnino contrarium, ut patet ex dictis.

2. Possunt haec D. Thomae verba explicari cum nostro Gonetio, dicendo S. Doctorem per ly aptare, & preparare, non intelligere tantum creare, & producere, sed etiam applicare, & determinare: ita seipsum explicat S. Doctor in haec Apostoli verba ad Hebr. 13. Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem: ubi dicit: Homo, quando habet voluntatem bene faciendi, dicitur esse aptus ad illud. Deus autem, quando immitit homini bonam voluntatem, aptat eum, id est, facit illum aptum; & idem dicit Apostolus: aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, id est, faciat vos velle omne bonum... Dupliciter autem homo aptatur ad benefaciendum: uno modo exterius operando; & sic unus homo aptat alium persuadendo, vel comminando, alio modo aliquid interius exhibendo, & sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus potest ipsam immutare, Prov. 21. Cor Regis in manu Domini, quicumque voluerit, vertet illud: Ergo in via D. Thom. preparare, & aptare causas, est eas applicare, & determinare. Insuper ex hac doctrina D. Thom. habemus, & quod est maxime proprium questionis nostrae, Deum non solum determinare, & applicare voluntatem moraliter suadendo, & comminando, sed etiam physice aliquid interius in ea operando, atque eam immutando, quo fit ut infallibiliter velit, quod ipse Deus vult illam velle.

Secundum principium D. Thom. praedicti affine. S. Doctor hic, quest. 19. postquam docuit art. 6. Voluntatem divinam semper, & infallibiliter impleri, quia est causa universalis, quam nulla res creata potest subterfugere, quaerit art. 8. quomodo haec divina voluntas infallibiliter concilietur cum libertate nostra, eamque non ledat? Id autem repetit ex ipsa efficacia divine voluntatis: Cum voluntas divina, inquit, sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiat ea, que Deus vult fieri, sed quod eo modo fiat, quo Deus vult ea fieri; vult autem quaedam fieri Deo necessario, quaedam contingenter. Et ad 1. Ex hoc ipso quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur, quod non solum fiat ea, que Deus vult fieri; sed quod fiat contingenter, vel necessario, que sic fieri vult. Et 1. 2. q. 10. art. 4. ubi docet, Deum non movere necessario voluntatem, quia movet unumquodque secundum suam dispositionem, obicit sibi primo loco hoc argumentum: Omne agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet, sed Deo, cum sit infinitae virtutis, resisti non potest... Ergo Deus ex necessitate movet voluntatem. En ipsum Argumentum, quo passim utuntur Molinistae ad probandum Deum non posse absque praedictio libertatis movere, seu determinare voluntatem: illi autem sic respondet S. Thomas: Ad 1. dicendum, quod voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturae ipsius. Et idem magis repugnetur divine motioni, si voluntas de necessitate moveretur, quod sine naturae non competit, quam si moveretur liberè prout competit sine naturae. Similiter hic quest. 22. art. 4. quest. 23. art. 6. quest. 83. art. 1. 3. contr. Gent. cap. 94. Opusc. 2. cap. 140. & alibi. Atqui negantes decreta ab intrinseco efficacis, & admittentes dumtaxat indifferentiam, non reputant infallibilitatem divine voluntatis, neque eius conciliationem cum libertate nostra ab illius vi efficacissima, quin potius inde putant tolli libertatem; sed ex scientia media, qua Deus praedicit, quid voluntas creata ex innata libertate sit actura, & inde decernit ad solvendum id fieri.

3. Non solum S. Thomas statuit principia, unde conclusionem nostram eruiamus, sed & eam disertis verbis asserit. Deus, inquit quest. 6. de malo art. unico ad 3. movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, que deficere non potest: quid clarius? subiungit: sed propter naturam voluntatis motae, que indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitate, sed manet libera. Et quodlib. 12. art. 3. Praedestinatio habet certitudinem ea parte voluntatis divine, cui non potest aliquid resistere. Quid iterum expressius? Vide insuper

per 1. 2. quest. 112. rrr. 3. o. quest. 10. art. 4. ad. 3. 2. 2. quest. 24. art. 11. o. & alibi.

§. IV. Probatur conclusio rationibus.

Probatur ratione virtualiter multiplici. Absoluta veritas est, omne bonum, quod est in nobis, & maxime consensus nostrum in bonum opus esse proprie a Deo volente & causante. Id probant omnes ferme auctoritates, tum Scripturarum, tum Conciliorum & Patrum, quas hucusque protulimus: id etiam probant orationes Ecclesiae, quibus a Deo petimus non solum bonum opus, sed etiam consensum, & determinationem voluntatis nostrae ad illud, seu ut orat Ecclesia; ut rebelles ad se compellat voluntates, vel ut loquitur Aug. l. 4. ad Rom. c. 9. ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes; nemo enim petit ab alio, nisi id quod ab ipso est donandum, seu efficiendum. Id iterum probant promissiones Dei; promittit enim, inquit Aug. de Praedest. SS. c. 10. quod ipse facturus est, non quod homines; promittit autem aliquando consensum nostrum in bonum, ut dum promittit Abrahae fidem gentium. Tandem eandem veritatem probat ipsa ratio naturalis, qua agnoscimus Deum omnium bonorum auctorem, primum ens, a quo omnia alia entia participantur, primum motorem a quo omnia moventur, primum, & universalissimam causam, quam nihil potest subterfugere; atqui haec absoluta, & primordialis veritas lumine fidei, & rationis nota sic adstruit sententiam nostram, ut contrariam omnino evertat; si enim Deus velit, & causet determinationem & consensum nostrae voluntatis: ergo voluntas eius circa illum non est indifferens sed determinata, neque est infallibiliter efficacis denominative ab illo consensu praevio, sed ex se & ab intrinseco, quia illum consensum non expectat aut supponit ab alio causatum, sed vi propria illum causat.

Confirmatur ista Min. exponendo modum dicendi adversariorum. Dicunt itaque, Deum esse indifferenter paratum ad concurrentium nobiscum, sive ad consensum, sive ad dissentium; explorare vero per scientiam mediam, quomodo nos usurimus hoc indifferenter consensum, & ad quam partem determinatur, ac videre nos in certis circumstantiis usuros ad bonum, in aliis ad malum: deinde, si velit ut bonus actus fiat, ex ea intentione decernit nos constituere in his circumstantiis, in quibus praevideat nos consensuros; sicque hoc secundo decreto decernit actum infallibiliter, non ex efficacia suae voluntatis, ut patet, sed ex praesentia suae cooperationis: palam est ergo iuxta hunc dicendi modum, quod Deus non causet consensum nostrum, sed ipsum a nobis expectet, quod ipse nos non determinet, sed determinetur a nobis; quod nos inchoamus, ipse sequatur; & quod eius concursus libertati humanae subiaceat; quod non sit primum ens, primum motor, prima & universalissima causa; quod aliquid in rerum natura existens, universalius liber consensus noster, seu libera nostra determinatio causalitatem eius subterfugiat; quod homo ex propriis se discernat in opere salutis. Quae & alia inconvenientia latius deducta require §. 3. & praesertim 6. de scientia media.

Nihil non tentant adversarii, ut tot ac tantum absurditatum invidiam declinent, suadentque, si possint, etiam in sua sententia consensum nostrum liberum esse a Deo. Respondent itaque 1. Consensum nostrum esse a Deo, quatenus nobis dedit liberum arbitrium. Ita Molina 1. part. quest. 23. art. 5. disput. 1. membro 68. Sed contra 1. Ita olim respondit Pelagius, quem ideo Augustinus impugnat libr. de grat. Christi cap. 17. hoc argumento: Si ideo consensus ad bonum est a Deo, quia dedit posse, seu liberum arbitrium: ergo & consensus ad malum, seu dissensus gratiae est pariter a Deo, quia liberum arbitrium est ad utrumque. 2. Haec responsio incidit in sententiam Durandi negantis immediatum Dei influvium in actiones nostras, quam adversarii nobiscum rejiciunt, & quam S. Thomas impugnat ut erroneam, ut patet ex supradictis. 3. Juxta hanc responsionem remanent objecta inconvenientia, scilicet nos non determinari a Deo, sed ipsum a nobis; ipsum non esse primum motorem; hominem ex propriis se discernere; divinum concursum humanae libertati subiecti; aliquid esse quod eius causalitatem subterfugiat, &c.

Instant, determinationem nostram liberam non esse aliquam entitatem, seu realitatem a voluntate distinctam, sed solam formalitatem quamdam entis ab illa realiter indistinctam; imò ut quidam dicunt, aliquid fictum seu rationis tantum: sicque nullum esse inconveniens, si a Deo immediate non causetur. Sed contra 1. Dato assumpto, haec instantia non solvit argumentum Aug. contra Pelagium. 2. Non salvat inconvenientia, scilicet Deum a nobis determinari, non nos ab ipso, ejus concursum nobis subiecti, non esse primum motorem, hominem posse gloriarum, & se discernere ex propriis; hoc ultimum fateatur Molina in concord. disp. 12. §. Illud postremum, his verbis: Esto justus de ejusmodi actibus ex ea parte qua libere quidem, verum partialiter partialitate causa & non effectus ab ipso emanavit, gloriatur,

(praecipuam tamen gloriam, & honorem in Deum referendo, a quo principaliter, & tamquam ab origine prima succedunt) sane non esse incipiens: sed verum diceret, quoniam non gloria-retur de actu, ratione aliqua formali actus, quasi eam non acceperit, quod Paulus prohibet, ac reprehendit, sed de sola cooperatione libera per suum arbitrium. Utrum vero haec assertio Molinae non indigeat emendatione, dicant alii.

3. Falsum est quam maxime assumptum instantiae; quod multis probatur: 1. Potentia voluntatis, etiam ut est libera, est potentia realis, distinguitur enim realiter a potentia necessaria brutorum, & illi realiter supereminet: ergo actus liber ut talis, hujus potentiae reali correspondens, est realis; non potest enim dari potentia, quae sub aliqua ratione sit realis, & actus, qui illi sub hac ratione correspondet, non sit realis. Neque obstat, quod forte ratio liberi includat aliquid rationis, puta, respectum rationis ad indifferentiam iudicii, vel aliquid simile; hoc enim dato & non concesso, nihilominus est aliquid reale, quod a reali potentia, & reali dominio egreditur. 2. Actus liber ut liber exigit majorem realitatem, & actualitatem in causa, quam actus necessarius, & insuper habet effectus reales: ergo est ipse realis. Patet Consequ. quia, quod exigit causam magis realem, & habet effectus reales, non potest non esse reale. Prob. 1. pars. Ant. Actus liber ut talis non potest emitti, nisi a potentia, quae majus dominium habet, & potentia non potest habere majus dominium, nisi habeat majorem universalitatem & activitatem; haec autem necessario requirit majorem perfectionem & entitatem. Prob. 2. Pars Ant. Ex libera determinatione nostrae voluntatis procedunt actus meritorii, & demeritorii, actus imperati in se, & in aliis potentis, diriguntur per providentiam, & artem multum effectus, qui a determinatione ut libera dependent: ergo 3. Libera determinatio nostrae voluntatis ut talis est perfectio sui; licet sit simplex; melius est enim illum habere, quam ea carere: ergo non est tantum quaedam formalitas, seu quid fictum, sed vera entitas immediate a Deo procedens. 4. Actus supernaturalis, qui est exordium nostrae justificationis & salutis, non est quaedam dumtaxat formalitas, aut quid rationis, sed indubie aliqua entitas seu realitas a Deo immediate per gratiam causata; atqui talis est liber consensus noster mysteriis fidei: ergo.

Tandem merito observat noster Gonetus, adversarios hinc se mirabiles praebere: cum enim arguant contra praedeterminationem physicam, qua dicunt ledi libertatem, hanc magnifice extollunt: dicunt, illam esse praecipuam hominis praecellentiam, qua differat a brutis, aequatur Angelis, assimilatur Deo, & omnibus aliis creaturis praestet, atque in eas dominatur. Haec ultra concedimus. At quando Thomistae arguunt, hanc tantum praecellentem perfectionem immediate causari a Deo, & consequenter per aliquem influxum praevium, cum omnis causa sit prior suo effectu, statim canunt palinodiam, & libertatem nostram ita deprimentur, ut velint esse tantum aliquam formalitatem ac prope nihil, imò aliquid fictum & ens rationis. Contra quos ideo sic arguit laudatus Theologus: Vel libera determinatio voluntatis nostrae est aliquid existens in rerum natura, vel nihil. Si primum, immediate causatur a Deo, quem agnoscimus creatorem omnium visibilium, & qui juxta S. Thom. 1. Perhiera. Lect. 14. est causa extra ordinem entium existens, profundens totum ens, & omnes eius differentias ac modos. Si nihil, non tollitur, nec leditur per praedeterminationem physicam, sicque ea parte concidunt omnia Adversariorum tela. Hoc igitur expulsi praesidio, ad aliud confugiunt &

Respondent 2. consensum nostrum liberum immediate causari a Deo per motiones morales. Sed contra. Ad determinationem liberam voluntatis requiri motiones morales, nullus negat. Est enim voluntas potentia sequens ductum rationis; ita ut indifferentia iudicii sit radix ejus libertatis, quae sic dicitur liberum arbitrium, ut liberum referatur ad voluntatem, & arbitrium ad rationem. Exigit ergo, ut sibi a ratione proponatur objectum consentaneum illam alliciens ad sui determinationem, quod fit per motionem moralem; hanc autem sufficere, ut Deus sit, & dicatur verè causa nostrae determinationis, negamus. 1. Quia Pelagius etiam admisit ex parte Dei motiones morales ad bonum, & tamen eas ut insufficientes rejicit Aug. libr. de Grat. Christi cap. 5. 10. 11. requirens gratiam, quae per subordinationem Spiritus, & virtutis in ipsa voluntate ageret eam immutando, & non solum objective movendo & alliciendo. 2. (Quest. 22. de verit. art. 9. Quest. 3. de malo art. 3. hic quest. 106. art. 2. & quest. 121. art. 3.) Debet salvari in Deo ratio causae propriae efficientis circa consensum nostrum liberum, motio vero moralis non pertinet ad causam efficientem sed ad finalem, & objectivam. 2. (Ibid.) Gratia moralis proprie loquendo non determinat voluntatem, sed eam allicit dumtaxat, ut ipsa se determinet, ita ut, posita quacumque gratia morali, voluntas remaneat semper indifferens, & indeterminata; quia, ut jam dixi, non agit intra voluntatem eam immutando, & faciendo de nolente volentem, sed ipsi dumtaxat proponit objec-

tum alliciens ad amandum; nullum vero obiectum præter Deum clarè visum infallibiliter rapit; & determinat voluntatem nostram: quia, cum nullum obiectum præter Deum clarè visum proponatur ut ex omni parte bonum, remanet semper indifferens iudicii ex parte intellectus, & consequenter indeterminatione ex parte voluntatis; quæ ideò aliudè determinari indiget. 4. Deus est causa consensus nostri in bonum potiori titulo quam Angelus & homo, sed Angelus & homo concurrunt ad consensum nostrum in bonum per motiones morales; ergo hæ non sufficiunt in Deo. 5. Dato quod Deus verè, & propriè causet liberam determinationem voluntatis nostræ per motiones morales, id absquè dubio facit, quia vult, nihil enim facit nisi volens; ergo voluntas ejus circa consensum nostrum liberam non est indifferens, sed determinata, neque infallibiliter efficacex ex illo consensu prævisio, sed ex potentia & virtute propria; quia, ut supponitur, illum causat, & non expectat aut supponit ab alio causandum. Et hoc nunc nobis sufficit: non enim hic querimus, per quid Deus in tempore voluntatem suam omnipotentem exequatur, an per motiones physicas, vel morales, id pertinet ad Philosophiam, vel ad Tract. de gratia; sed an voluntas divina circa actus nostros liberos sit determinata, & infallibiliter efficacex ex omnipotentia sua; quod hic habemus.

Respondent 3. consensum nostrum liberum esse etiã efficienter à Deo per concursum simultaneum. Sed contra. 1. Concursus simultaneus offertur indifferenter ad consensum, vel dissentium: ergo non est determinativus voluntatis ad consensum potius quam ad dissentium. 2. Concursus simultaneus non influit in voluntatem, ut ipsam determinet, sed in effectum tantum; sunt enim voluntas divina, & humana juxta adversarios duæ cause partiales, sicut duo trahentes navim, quarum una non influit in aliam, alioquid jam non foret causa partialis, sed totalis. Facit ergo Deus per concursum simultaneum eum facimus; sed non facit ut faciamus, neque est causa consensus nostri ut liber est, & ut a voluntate nostra procedit, sub qua tamèn ratione est quid reale, & quid præcipuum in negotio salutis, ut diximus. 3. Si Deus per concursum simultaneum sit causa consensus nostri in bonum, erit pariter causa consensus nostri in malum, quia eodem modo ad utramque concurrat. 4. Si libera determinatio voluntatis nostræ sit à Deo, quia nobis cooperatur, pari jure cooperatio Dei potest dici esse à nobis, quia nos etiã ipsi cooperamur, nec potest sine nobis actum nostrum liberum efficere. 5. Tandem, si Deus per concursum simultaneum causet liberam determinationem voluntatis nostræ, jam non est tantum simultaneus, sed etiã prævisus, quia omnis causa est prior suo effectu, saltem natura & causalitate.

Respondent 4. Congruistæ, consensum nostrum & omne bonum, quod est in nobis, esse à Deo, quatenus Deus ex speciali benevolentia atque ex intentione boni operis in nobis efficiendi nos constituit in his circumstantiis, in quibus prævidit per scientiam mediam nos concursui indifferenti oblato ex innata libertate consensuros, cum posset nos constituere in his circumstantiis, in quibus præscierat nos non consensuros. Sed contra. 1. evidentiissime patet, neque juxta hunc dicendi modum Deum causare determinationem nostram; dicit enim, non secus ac præcedere, Deum primò offerre concursum indifferenter, & expectare atque explorare consensum nostrum: ergo illum non causat. Neque refert, quod, hoc consensu prævisio à nobis conditionatè futuro, si nempe in talibus circumstantiis concurrat, absolute decernat ex intentione hujus consensus obtinendi concurrere in his circumstantiis, inde enim solum sequitur, quod velit consensum à nobis ponendum, non verò quod ipse ponat, seu causet. Idque confirmatur, Undè 2. Qui ponit circumstantias, ex eo præcisè nihil plus facit quam circumstantiæ faciunt, sed circumstantiæ non causant determinationem nostram, seu non faciunt ut velimus, ut per se patet, & fatetur Adversarii. 3. Sequeretur, quod Deus esset pariter causa dissensus nostri, dum constituit nos in his circumstantiis, in quibus prævidit nos non consensuros. 4. Juxta hunc dicendi modum non magis, quam juxta præcedentes, infallibilitas divinorum decretorum non oritur ex omnipotentia Dei, sed ex ejus præscientia, contra auctoritates Scripturarum, primo numero relatas; neque Deus facit de voluntatibus hominum quod vult, sed quod prævisio ipsius velle; neque de his disponit sicut hortulanus disponit de aquis, figulus de luto, artifex de securi, cum non possit salva libertate efficere, quod voluntas consentit in his circumstantiis, in quibus prævidit non consensuram. Quæ omnia sunt contra auctoritates numero 2. relatas, & textus expressos Aug.

Aliud diviticulum querit Tournellius art. 5. de scientia media §. *Expenduntur*. Putatque vim omnium istorum argumentorum ab auctoritate, & a ratione eludere, dicendo Deum dare velle & perficere, auferre cor lapideum, dare carneum, & spiritum novum facere ut in præceptis ejus ambulemus, cor inclinare quocumque voluerit, sicut hortulanus dividit aquas quò voluerit, uno verbo causare nostram determinationem, &

consensum in bonum: *Quando*, inquit, *ex infinitis, que in sua potestate habet, gratias administrat ea seligit, ac largitur, quibus prævidet emolliendam esse, penitusque frangendam humane voluntatis contumaciam, quod certe potentia, & benignitatis Dei singulare beneficium est.*

Sed contra: A cepta semel via non recedit Tournellius; si, quæ dicit, nimis vera sunt, factum saltem faciunt, & pluribus illudunt lectoribus. Crederes enim ipsum, dum sic loquitur, agnoscere in Deo gratias ex omnipotentia ejus voluntate efficaciter inclinantes, & determinantes voluntatem humanam in bonum, quibus consequenter prævideat infallibiliter emolliendam & frangendam voluntatem, voluntatis contumaciam: id enim videntur importare Phrases Tournellianæ. Minime prorsus. Nihil aliud intendit Doctor Molinianus, quam quod Deus, postquam per scientiam mediam prævidit, quibus gratias voluntas humana ex sua libertate sit consensura, decernit eas illi dare, sicut infallibiliter prævidet emolliendam, atque frangendam ejus contumaciam, non quod ille gratia eam vi sua infallibiliter emolliat & frangat: nulla enim hujusmodi gratia agnoscitur in systemate scientiæ mediæ sed quia, antequam absolute decerneret dare, vidit, quod voluntas ex innata sua libertate sineret se iis emolliari & frangi, hoc est, quod vellet iis consentire potiusquam dissentire. Undè juxta Tournellium, & omnes scientiæ mediæ defensores non salvatur, quod Deus det velle, seu consentire, quod auferat cor lapideum, id est resistentiam, quod det cor carneum, id est obedientiam, quod cor inclinet & determinet, &c. sed tantum, quod hoc sciat infallibiliter, quia hoc totum prævidit conditionatè futurum ex innata libertate voluntatis humane.

Verum, ut quid Adversarii tot ambages, & effugia querunt? ut quid nos in his detegendis, & solvendis tandi immoramur? Cum illi crudè & nudè alibi admittant, quod videntur hic negare, aut quod saltem tenebris obvolvete nituntur, ne suæ doctrinæ vitium & probum appareat. Dicunt enim, imò aperto ora clamant, atque pro fundamento totius sui systematis statuunt, proprium esse potentia liberæ seipsam determinare, & a nullo extrinseco, nequidem ab ipso Deo, posse salva ejus libertate determinari, undè negant decreta prædeterminantia, gratias per se efficaces, præmotiones physicas, & urgent perpetuò contra nos decreta, ut putant, Concilii Trid. voluntatem scilicet quocumque gratia posse etiã in sensu composito & consequenter resistere, atque eam abjicere. Stet ergo invictè, Deum juxta adversarios non esse causam determinationis nostræ; & quamvis verbis id dissimulare videantur, dum horridas ex hac doctrina consequentias ipsis objicimus, reipsa tamèn eos ita sentire, sicut eos cogi devorare omnia absurda, quæ in præsentis probatione & fusius de scientia mediâ deduximus, nempe aliquid subterfugere Dei causalitatem; ipsum non esse primam & universalissimam causam, primam motorem, primum ens, non esse omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & invisibilium; ejus concursum subijci humane libertati, nos inchoare bonum opus, ipsum sequi, nos non debere ab eo petere ut nos convertat, ut rebeles ad se compellat voluntates nostras, ut auferat cor lapideum & det cor carneum, neque pro his gratias ipsi agere, hominem ex propriis se discernere in opere salutis, Deum non habere supremum dominium in voluntates hominum, nec ipsum posse eas quocumque voluerit, vertere, &c.

Prob. conclusio 2. ratione. Decretum indifferens concurrenti ad utrumlibet debet determinari per aliquid ad hoc potius quam ad oppositum, puta ad consensum potius quam ad dissentium, ad actum amoris potius quam ad actum odii; non enim potest concurrere ad actum determinatum remanens in sua indifferencia ad utrumlibet. Quæro autem ab adversariis, per quid in sua sententia istud decretum indifferens, seu concursus indifferenter oblatus determinetur ad hunc actum potius quam ad oppositum? Hic hæret ipsis aque. Non enim dici potest, quod determinetur à Deo, quia Deus se exhibet paratum indifferenter concurrere ad utrumlibet. Non per aliquid, quod sit in voluntate prius quam se determinet, quia tota voluntas antè suam determinationem est indifferens, & si antequam se determinet, Deus illi offerret concursum determinatum, & restrictum præcisè ad hunc actum, libertatem læderet juxta adversarios. Non denique per ipsam determinationem actuale voluntatis. 1. Quia hoc est aperte concedere, quod voluntas creata sit primum determinans, prima causa, a qua Deus pendeat, & determinetur in concurrenti; quod maximum absurdum quamvis verè, ut nobis videret, sequatur ex adversariorum sententia, illud tamèn aperte fateri refugiant. Voluntas creata determinatur per suum actum, ut ipsimet docent, & actus voluntatis identificatur cum concursu Dei, ut etiã concedunt; nec enim potest concipi actus ut egrediens a voluntate & non a Deo, & hoc fit per concursum. Hinc infero 1. Ergo determinatio voluntatis non est magis determinativa concursus, quam concursus sit determinativus voluntatis. Infero 2. Ergo Deus non potest

prævidere creaturam se determinaturam sine suo concursu determinato, sicut videndo determinationem conditionatè futuram creaturæ, videt se determinatè concurrurum, antequam velit determinatè concurrere, quod implicat; & cum inducunt Deum sic decernentem: concurrat determinatè, si creatura se determinaverit, sensus est, concurrat, si concurrat; quia, ut dictum est, voluntas non potest se determinare sine concursu quocum identificatur. Insuper: si determinatio voluntatis creata sit causa determinans concursum divinum, ergo prius concipitur determinatio voluntatis, quam concursus; quomodo autem prius potest concipi, si identificatur cum illo?

Tandem decreta indifferencia videntur Vaticano fulmine contrita. Innocentius namque XI. ann. 1679. die 23. Novembris damnavit hæc propositionem: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.* Et istam: *Deus nobis subjicit omnipotentiam, ut pro libitu ea utamur.* Non enim videmus sufficiens discrimen inter hæc propositiones, & istam, quæ est adversariorum, & in terminis Jacobi Platelli in sua Synopsi cap. 4. §. 2. n. 166. Decretum concurrenti in actu primo exhibet Dei potentiam ad utrumlibet indifferenter causa liberæ, et relinquendo plenam potestatem seipsam & potentiam Dei jam sibi addictam, in actu secundo ad utramvis partem contrarietatis, aut contradietionis pro libitu determinandi. Quid est enim hoc aliud, quam Deum subjicere nobis suam potentiam quantum ad usum, scilicet ut ea pro libitu utamur: sicut dicitur servus se subjicere Domino, cum se exhibet paratum ad quocumque voluerit Dominus?

Ab ulterioribus probationibus superscedimus; quia, quæ diximus contra scientiam mediam, militans pariter contra decreta indifferencia, cum stare non possint decreta indifferencia absque scientia mediâ; Deus enim cognoscit omnes actiones nostras, etiã liberas, vel in se tanquam in causa infallibili, vel in nostris voluntatibus videndo earum determinationes, quibus decreta indifferencia, & concursus indifferenter oblatus eligunt & determinat, quo prævisio Deus elicit suum decretum determinatum juxta id, quod vidit in creatura. Si primum, est decretum ex natura sua determinatum & efficacex. Si secundum, est scientia mediâ: ergo, sublata scientia mediâ, non sunt decreta indifferencia; non dari verò scientiam mediam, satis superque probavimus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones.

Hæc proponant indifferenter argumenta, quæ militant tam contra gratiam a se efficacem, quam contra decretum per se efficacex quia, ut jam monui, una est utriusque causa.

Ex quintuplici capite deprimi solent argumenta. 1. Ab auctoritate. 2. Ex læsione libertatis. 3. Ex insufficientia auxilii. 4. Ex affinitate cum Calvinismo. 5. Ex læsione sanctitatis divine.

§. I. Solvuntur objectiones ab auctoritate.

Obj. 1. Ex Scriptura. 1. Eocl. 15. dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui...* Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrigere manum, &c. atqui, si decreta Dei circa actus nostros liberos sint prædeterminantia, & infallibiliter ex se efficacex, homo non esset relictus in manu consilii sui, sed consilii Dei; nec ipsi esset locus eligendi quod vellet, sed præcisè faciendi quod Deus vellet: ergo. 2. Isai. 5. *Judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineam meam, et non feci eam? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscus?* Ex hæc Parabolâ habemus; quod Deus facit quod in se est, consequenter quod det auxilium ut homo fructus salutis operetur, quos tamèn non operatur: ergo auxilium efficacex aliquando caret effectu. 3. Proverb. 1. *Vocavi, et venistis, extendi manum meam, et non fuit qui respiceret.* Act. 6. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Et alibi similiter. Atqui, si voluntas Dei esset infallibiliter efficacex ex sua omnipotentia, nemo illi resisteret: ergo. 2. Ad Cor. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Deo recipiatis:* loquitur autem Apostolus de gratia efficaci, siquidem Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap. 5. agens de vocatione efficacissima Pauli, hoc testimonium usurpat: ergo Apostolus agnoscit, gratiam efficacem posse carere effectu; qui enim admonet, ne in vacuum accipiat, supponit posse se accipi. Idem significatur ad Hebr. 12. *Contemplantæ ne quis desit gratia Dei.*

R. (Hæc q. 22. art. 2. ad 4. et q. 3. de pot. art. 7. ad 12.) Ad 1. his verbis significari hominem esse liberum arbitrii, & ei non esse præfixam virtutem operativam determinatam ad unum sicut agentibus naturalibus, sed habere dominium super suos actus; quia tamèn hoc liberum est creatum & causa secunda, per hoc non excluditur actio primi liberi, & primæ causæ, a qua

dependet homo in sua operatione. Undè, sicut dicitur ex una parte hominem esse relictum in manu consilii sui, sic ex altera dicitur Prov. 21. *Sicut divisionis aquarum, ita cor Regis in manu Dei.* Et Jerem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Est ergo homo in manu consilii sui, & in manu Dei, non quasi violentè aut necessario trahentis, sed dantis virtutem, operationem, & omnia, quæ sunt necessaria ut liberè fiant, consequenter ut quod voluerit eligat; sed non eligit, nisi id quod Deus vult ut eligat.

Ad 2. nego, Deum fecisse totum, quod in se erat, ut converteret Judæos: unde non dicit, quid ultra potui, sed quid ultra debui facere, & non feci? Quo significatur, Deum equidem dedisse Judæis necessaria, scilicet gratias sufficientes, quibus poterant converti, & quas, supposita voluntate antecedente omnes salvandi, dare debebat; non verò gratias efficaces, quas quidem poterat, sed non tenebatur dare, quia id non exigebat ordo suæ providentiæ. Neque dicas, Judæos in merito reprehendi, si caruerint gratia efficaci necessaria ad actualem conversionem; quia merito reprehenditur, qui potest facere & uno facit id, ad quod tenetur, maxime si sua culpa caret. Aliquo alio necessario ad actu faciendum. Porro tales erant Judæi, quibus Deus abundanter provideat gratia sufficientia ad salutem; quod autem efficaciam non habuerint, ipsi fuerunt in culpa propter nimiam indurationem, qua sufficientibus male usi sunt; undè verè dicit Deus: *Quid ultra debui facere vineam meam, & non feci?*

Ad 3. Cum pariter Scriptura pluribus testetur, neminem resistere, aut etiã posse resistere divine voluntati, ut concilietur, distinguimus duplicem voluntatem in Deo, unam antecedentem, cui resistitur; alteram consequentem, cui non resistitur. Similiter duplicem gratiam, unam sufficientem, quæ a voluntate antecedente procedit, cui resistitur; alteram per se efficacem, quæ a voluntate consequente procedit, cui non resistitur, & cui secundum Scripturam non potest resisti potentia scilicet consequente, & in sensu composito; licet possit resisti potentia antecedente, & in sensu diviso, de quo infra.

Nota diligenter: Quidam hic distinguunt inter voluntatem absolutam, & decretum Dei ex una parte, & motiorem gratia efficaci ex altera; contenduntque, quod, quomvis possit resisti motioni gratia in sensu diviso, in nullo tamèn sensu possit divine voluntati seu decreto, eo quod Scriptura absolute pronuntiet neminem posse resistere divine voluntati, & indecens, imò absurdum sit, vilem creaturam posse omnipotentem resistere: Equidem, si sermo sit de voluntate divina in communi, verum est in nullo sensu posse illi resisti. (Hæc q. 19. art. 6. o.) Quia, cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Undè, quod recedere videtur à divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsum secundum alium: sicut peccator, qui quantum est in se recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divine voluntatis, dum per ejus justitiam punitur. Verum, si sermo sit de divina voluntate aliquem actum in particulari decernente, eodem modo potest illi resisti, quo potest resisti motioni gratia prævenientis. 1. Quia, cum motio gratia sit virtus, qua Dei voluntas, seu decretum mandatur executioni, necesse est esse eandem utriusque rationem quoad efficaciam, sicut est eadem ratio artificis, & instrumenti quod movet, ita ut, qui potest resistere instrumento moti, possit resistere artificio illud moventi. Ideò potest resisti motioni gratia in sensu diviso, quia non solum movet ad substantiam actus, sed etiã ad ejus modum, id est, ut liberè fiat, sicut servetur potentia ad oppositum. Atqui similiter Deus suo decreto vult, non solum substantiam, sed etiã modum, seu libertatem actus; ergo par est utriusque ratio. 3. Conc. Trid. sess. 6. can. 4. dehinc, liberum arbitrium posse dissentire, non solum motioni gratia, sed ipsi Deo moventi & excitanti; non est autem major indecentia, seu absurditas, quod quis possit resistere Deo volenti, quam Deo moventi.

Sed ut omnis scrupulus tollatur, atque huic difficultati & pluribus aliis lux adferatur, audiendus est Doctor noster in 4. d. 11. q. 1. art. 3. quæstione. 3. ad 2. ubi hæc habet: *Aliquid actione potest esse resistente dupliciter: uno modo ex parte agentis, quando scilicet ex contrario agente virtus ipsius debilitatur. Alio modo ex parte ipsius effectus, quando ex contraria dispositione impeditur effectus. In omni actione, ubi agens non patitur, prima resistencia non habet locum, sed secunda solum. Undè in operationibus divinis non attenditur difficultas secundam resistenciam ad agentem, sed secundam impedimentum effectus.* Hæc profundissime S. Doctor, quibus & præsens difficultas, & multe aliæ gravissimæ, petitæ ex læsione libertatis per Dei decretum aut gratiam a se efficacem, explanantur, & dirimuntur, ideòque alta mente reponenda & sæpius revocondam legitur nemo potest ullo sensu resistere sive Dei voluntati absolu-

te, sive moti gratia per se efficacis, resistentia, quae est ad agentem, sicut v. gr. hosti irruenti in urbem civis resistit, sicut impetum, retardat, frangit, ac tandem vincit. Quis enim ut Deus? quis habet brachium ut Deus, inquit Job, & potest cum eo luctari? sed cum voluntas divina, idem die de gratia, nullam necessitatem voluntati create imponat, sed velit ut liberè agat, potest voluntas creata aliud velle, & hoc sensu impedire effectum divinæ voluntatis, quod est resistere divinæ voluntati resistentia, quae est secundum impedimentum effectus.

Ad 4. dato, hos Apostoli textus intelligendos esse, non de gratia habituali, aut actuali sufficiente (quod tamen fortè posset defendi) sed de gratia efficaci, nihil inde derogatur ejus efficacitiae; quia, quod quis non desit gratia, aut eam in vacuum non recipiat, est ex gratia: Hoc ipsum, quod aliquis non ponat obstaculum gratiae, inquit S. Th. (Lect. 3. in l. cit. ad Hebr.) ex gratia procedit. Hinc communiter dicitur, quod bonus usus gratiae sit ex gratia. Neque id impedit, quomodo Apostolus recte poterit nos hortari, ne gratiam in vacuum recipiamus, hoc enim sic est a gratia; ut etiam sit a libero arbitrio; datur enim gratia, ut voluntas se agat, & non ut nihil agat. Certè converti ad Deum est ex gratia, & hoc ipsum non deesse gratiae; quia, qui non deest gratia, convertitur; & tamen Deus hortatur nos, ut convertamur ad ipsum. Sicut ergo bene est, quod Deus nos hortetur, ut ad eum convertamur, licet conversio sit ex gratia; ita bene est, quod Apostolus nos hortetur, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, licet id sit etiam ex gratia. Insuper, quamvis, & converti & non deesse gratiae sit ex gratia, non converti, & deesse gratiae non est ex gratia, sed ex mera voluntatis militia, sique semper est locus exhortationi. Cum autem inferatur: ergo agnoscit Apostolus nos posse deesse gratiae, distinguo: possumus potentia antecedente, & in sensu diviso, C. potentia consequente, & in sensu composito, N.

Obj. 2. Illud celebre Matth. 11. *Vae tibi Corozaim, &c.* Ubi Christus increpat Judaeos comparatè ad Tyrios, quod hi converti fuissent, si ea signa vidissent, quae viderant Judaei; sed si divina decreta, & gratia necessaria ad conversionem sint ex se efficaci, haec increpatio comparativa foret injusta; cum non esset aequalitas inter extrema comparata, & ideo Judaei potuissent justè respondere: Domine, si decrevisses efficaciter nostram conversionem, & ad id dedisses nobis gratiam a se efficacem, sicut dedidisti Tyriis, converti fuissetis sicut isti.

Ad hoc argumentum toties recantatum respondi in Dis. de scientia media 1. Apostolum hoc ipsum argumentum sibi proposuisse, & ut petulant redarguisse. 2. Esse pariter solvendum in sententia Congruistarum, imò & omnium sanè sapientium: alioquin admittendum est, Deum aequali voluntate velle omnium, tam reproborum, quam praedestinatorum, salutem, & aequalem omnibus conferre gratiam, quam quisque pro suo libitu efficacem reddat, ita ut gratia specialior non praevenciat praedestinationi, quam reprobis: haec autem doctrina non videtur satis recedere a doctrina semi-Pelagian. & eam a suis defendi prohibuerunt Praepositi generales Societ. ut jam notavimus. 3. Judaeos justè fuisse objurgatos comparatè ad Tyrios, quia habuerunt auxilia sufficientia: quod si non habuerint efficacitiam, sicut habuissent Tyrii, illorum culpa fuit, quia pra majori induratione, & malitia cursum gratiae sufficientis interceperunt, & majorem obicem gratiae efficaci in sufficiente oblate opposuerunt: undè pares fuerunt cum Tyriis in auxiliis sufficientibus, imò in efficacibus, si non collatis, saltem oblatis. Tandem ex abundantè quartam addidi solutionem ex P. Mas-souffe. Haec omnia require loco cit. de scientia media.

Instat Tournelius in q. de scientia media: ut Judaei non resisterent gratiae sufficienti, & non ponerent obicem efficaci, indigebant gratia efficaci, quia non resistere, non ponere obicem gratiae, non est quid purè negativum, sed actus positivus, est enim consentire gratiae & bene agere; ad omnem autem actum bonum opus est gratia efficaci secundum Thomistas: ergo poterant Judaei respondere se gratiae sufficienti restitisse, quia destituti erant gratia efficaci.

Premissa retorsione argumenti in Congruistas, quia ut Judaei non resisterent gratiae congruae, indigebant gratia congrua, R. (In l. d. 40. q. 4. art. 2. in cap. 12. ad Hebr. lect. 3.) N. Conseq. Equidem verissimum est, ad non resistendum gratiae sufficienti, seu ad illi consentiendum opus esse gratia efficaci; at ad illi resistendum non requiritur gratia efficax, sed sufficit mala voluntas: ista autem resistentia est causa, cur subtrahatur gratia efficax; non enim ideo voluntas resistit gratiae sufficienti, quia caret efficaci, sed e contra ideo caret efficaci, quia resistit sufficienti; causa autem hujus resistentiae, ut dixi, est mala voluntas, quae est primum principium deficientis, & quae ex propria defectibilitate, & malitia prorumpit in malum, quod est obstaculum gratiae juxta hanc nostri Doct. (1. 2. q. 112. art. 3. ad 2.) Regulam: *Defectus gratiae prima causa est ex nobis; sed collationis prima causa est a Deo,*

secundum illud Osee 13. perditio tua ex te Israël, tantummodo ex me auxilium tuum. Undè, sicut Tyrii non habebant causam gloriandi, quod minus obstacula gratiae opposuissent, quia id habuissent ex gratia; ita Judaei non habebant rationem excusandi suam resistentiam gratiae sufficienti, quia hujus resistentiae causa fuit mala eorum voluntas; & habuissent gratiam efficacem ad consentiendum, nisi mala voluntate restitissent sufficienti. Sed de hac difficultate iterum, & latius §. subseq. Conf.

Repones: Apponere obstaculum gratiae est illi resistere; at qui ex dictis Judaei apposuerunt obstaculum gratiae efficaci: ergo illi resisterunt, quod est impossibile secundum Thomistas. R. D. Maj. apponere obstaculum gratiae receptae impediendo ejus effectum est illi resistere, C. Maj. gratiae recipiendae, N. Maj. Sic autem Judaei apposuerunt obstaculum gratiae efficaci, quatenus resistentes sufficienti meruerunt privari efficaci, quae in sufficiente erat ipsis oblata.

Replacibus: iuxta doctrinam traditam non videtur recurrendum ad inscrutabile Dei judicium, ut reddatur ratio, cur illum trahat, & illum non trahat, ut solent recurrere Aug. & Th. sed ad solam voluntatem humanam, quae si velit, & trahitur; si non velit, non trahitur. R. Equidem penes hominès voluntatem esse nolle trahi, & resistere gratiae; at quod veli trahi & gratiae consentiat, pendet a gratia; cur autem hanc gratiam, qua velit trahi, & consentiat gratiae sufficienti, non det Deus huic peccatori, & det alteri aequè peccatori; nulla ratio reddi potest, nisi quia vult: quare autem vult, penes ejus inscrutabile judicium est.

Hinc etiam habes, quod, quamvis homo possit ex se ipso se preparare ad denegationem gratiae efficaci resistendo sufficienti; non possit tamen ex seipso se preparare, etiam negativè, ad ejus receptionem non resistendo aut consentiendum gratiae sufficienti; quia, quod non resistat aut consentiat, est ex gratia.

Obj. 3. Ex Conc. Senonensi, congregato ann. 1528. contra Luther. in Decretis fidei, Doctr. 15. ubi loquens de lib. arbitrio dicit: *Juxta Scripturam sacram eo extendimus (Libertum arbitrium) ut voluntas humana, misericordiae praevencientis auxilio sufficienti, & interiori & occulto secretioris inspirationis afflatus con-tacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad vitam illam gratiam se preparat, quae tantum accepta sit ad vitam aeternam. Neque tamen in gratia necessitas libero praevenciat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praevenciat, quo non stet ad ostium, et pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, et canabit cum illo. Nec demum tale sit hujusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Israel, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et voluerunt & traxerunt eum Stephanus, Judaeos duræ cervicis & incircumcisus auri-bus argueret, qui semper Spiritu sancto resisterent. Frustrà Paulus Thessalonicensis admoeruit Spiritum, ne extinguerent, si divinis suspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Ex quibus sic arguitur: Concilium loquitur de gratia efficaci, tum quia loquitur de gratia, qua de facto convertitur, tum quia loquitur de gratia, per quam Lutherus dicebat tolli libertatem, dicebat autem tolli per auxilium efficaci; atqui Concilium dicit huic auxilio posse resisti per hoc quod de facto resistatur, ut patet in exemplis, quae in probationem adducit: ergo. R. 1. retorquendo argumentum. Concilium loquitur de gratia, per quam Lutherus dicebat tolli libertatem; atqui Lutherus dicebat tolli libertatem per gratiam a se efficacem: ergo supponit Concilium, dari gratiam a se efficacem, quae non tollat libertatem; quae est ipsissima doctrina Thomistarum. R. 2. auctoritatem hujus Concilii fuisse propositam a Patribus Societ. pro sua sententia in congregatione 41. coram Paulo V. & negatam a nostris, eò quod a Sede Apostolica neque indictum neque confirmatum esset, nemine in contrarium reclamante. Undè ommissa est hujus Concilii auctoritas, tanquam non urgens. R. 3. Hoc Concilium certo admittit gratiam praevencientem aliam quam moralem, dicit enim: *Voluntatem hominis misericordiae praevencientis auxilio sufficienti & interiori & occulto secretioris inspirationis afflatus con-tacta se convertere.* Porro afflatus tangens interiori & occulto modo voluntatem non est sola motio moralis, quae per propositionem objecti dumtaxat allicit voluntatem, sed est effectiva operatio occulta intrà ipsam voluntatem ipsam convertens; proindeque habens efficaciam ex se, & conversionem non expectans aut supponens. Quod autem dicit, huic motioni posse resisti, citrà dubium est; gratia enim Dei, quantumvis efficaci, non tollit potentiam resistendi & deficienti; & resistendi, efficit infallibili suo ductu, non ut non possimus resistere & deficere, sed ne de facto resistamus & deficientus. Undè possumus resistere potentia antecedente & in sensu diviso, non potentia consequente & in sensu composito.

To-

Tota igitur difficultas est in probatione ab exemplis, quibus videtur probari posse resisti in sensu composito, quia de facto resistitur. Quam respondent conformiter ad ea, quae modò dicebam, hoc Concilium urpote a S. Sede non confirmatum defecisse in sua probatione. At dici potest (quod forte verius est) sensum Concilii esse, de facto resisti gratiae efficaci non immediate in se, sed mediatè, quatenus resistendo sufficienti, resistitur efficaci, quae in sufficiente offerebatur. Hanc esse mentem Concilii duo mihi suadent: 1. Quia concipi non potest auxilio efficaci qua efficaci, de quo loquitur Concilium, immediate in se resisti de facto, quoquo modo sit efficax, alioquin foret, & non foret efficaci. 2. Quia non est verisimile, Concilium voluisse definire gratiam efficacem immediate in se, esse semper in promptu, & nullum esse momentum, quo non stet ad ostium & pulset: sed longe probabilius est, haec verba protulisse de gratia efficaci, mediatè in sufficiente oblata. Et hoc sensu ipsi adversarij haec Concilii verba intelligunt, qui ea adhibent ad probandum omnibus dari gratias sufficientes. De Conc. Trid. dicemus §. seq.

Obj. 4. Auctoritates Patrum Cyrilli Alex. l. 8. in Jul. Chrysost. Hom. 11. in Joann. & super Ps. 15. Hieron. Ep. 106. ad Damasum, & Epist. 149. ad Hedibium, Prosper ad cap. Galilor. Resp. 6. Damasceni l. 2. orthod. fidei. Verùm hi omnes & alii nihil aliud volunt, quam quod homo sit liberi arbitrii & non cogatur, sed spontè agat; & quod non determinetur necessario ad unum per modum naturae, quo sensu S. Th. 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. explicat Damascenum. De S. Anselmo, cui acrius instant adversarij, dicam §. seq.

Obj. 5. Plura ex S. Aug. & Th. Sed ne eadem sapienti re- petamus, require soluta in de scientia media Obj. 2. & 3. Unum addam, quod solet opponi ex S. Th. qui in cap. 8. ad Rom. Lect. 6. dicit: *Haec vocatio est efficaci in praedestinitis, quia hujusmodi vocatiōem assentiunt. R. Nullatenus esse verisimile, S. Doctorem hi paucis verbis voluisse evertere systema, quod ubiq; & constanter docet de efficaci gratia repetenda ex efficaci & omnipotentè voluntate Dei, ut ex dictis patet & patebit ex dicendis. Imò patet ex his, quae docet S. Doctor eo ipso loco, qui objicitur: dicit enim, *vocationem interiore nihil aliud esse quam quandam mentis instructionem, quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum his, quae sunt fidei vel virtutis...* Et hanc vocationem esse necessariam; quia cor nostrum non se ad Deum converteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret. Quibus verbis aperte significat, hanc internam vocationem, hunc mentis instinctum, esse causam efficientem conversionis nostrae. Quando ergo immediate subjungit: *Et haec vocatio est efficaci in praedestinitis, quia hujusmodi vocatiōem assentiunt.* Haec verba non sunt intelligenda in sensu casuali, sed illativo, ita ut bene sequatur, quod gratia sit efficaci, si consentiamus; non tamen quod consensus noster sit causa; cur gratia sit efficaci; quo sensu dicimus Deum esse omnipotentem, quia omnia, quae vult, facit, & quo sensu ipse S. Th. explicat illud Origenis, quia futurum est aliquid, ideo statur a Deo. Vel si accipiatur in sensu casuali, sic intelligenda sunt, quod voluntas sit causa proxima & secunda effectus gratiae, dependens tamen a Deo ut a causa prima etiam ipsius consensus, eò modo quo explicamus id, quod dixit Aug. de duobus aequaliter affectis & vocatis, ideo unum cecidisse, alterum stersisse, quia unum voluit, & alter noluit. Possunt etiam intelligi de causalitate materiali & dispositiva, non efficiente, quo sensu Dominicus Soto explicat, quae dixerat lib. de nat. & grat. cap. 15. Ubi reddens rationem, cur Deus hunc trahat & illum non trahat, dicit: *Quae revera reddi non potest, nisi quod alter prebet assensum, & cooperatur, alter vero nemine.* Verba ejus subijcio, quae sunt ponderatione digna. Is igitur in 4. post dist. 30. repetiit is, quae dixerat in priori opere de nat. & grat. subjungit: *Quidam vero hoc texere voluerunt: dicentes, quod nimium trivenerim libero arbitrio in justificationis causa, & tamen salva semper Ecclesiae Catholicae censura arbitror necessario sic dicendum. Assensus enim liberi arbitrii non est causa praevencientis motum Dei, sed effectus ejusdem motus idem praevencientis libertatem arbitrium; est enim pulsatio & aspiratio Dei ad corda nostra similis aëri in fenestram clausam aspiranti, sed quia non aperit nobis ex necessitate eadem corda, sed nobis liberè consentientibus; quomodo causa prior efficiens, quae nos convertit, sit ejus spiratio & motus praevencientis, tamen dispositio materialis (quae hoc modo potest dici causa) est assensus nostra, sicuti causa efficiens praevencientis cur fenestra aperiret, aër intrans; sed causa materialis cur aër intrat, est quia fenestra aperitur.**

§. II. Solvuntur objectiones ex Lesione libertatis.

Objicies 1. cum Tournelio q. de scientia media & q. 9. de grat. art. 1. Doctrina, quae admittit decreta praedeterminantia & gratiam per se efficacem, conciliari non potest cum Theol. Biluani. Pars Prima.

dogmate Catholico circa humanam libertatem: ergo. Prob. Ant. Fides statuit, *liberum arbitrium motum & excitatum a Deo posse dissentire, si velit.* Ita Trid. Sess. 6. Can. 4. & Dei inspirationem posse abjicere: ibid. cap. 5. Placet integros textus referre. Cap. 5. postquam dixit Concilium, exordium justificationis sumi a gratia praevenciente, quae cooperatur assentiendo liberè, & qua disponitur ad justificationem, subdit: *Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest.* Ex Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationem gratiam se disponat ac preparari, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merique passivè se habere; anathema sit.* Et loquitur Concilium de gratia efficaci, quoquo modo sit efficaci; tum quia loquitur de gratia, cui de facto homo cooperatur & assentitur; tum quia loquitur de gratia, per quam Lutherus & Calvinus dicebant tolli libertatem, dicebant autem tolli libertatem per gratiam efficacem; atqui decreto praedeterminanti & gratiae per se efficaci, habenti infallibilem nexum cum consensu voluntatis, voluntas dissentire non potest, alias decretum non esset praedeterminans, nec gratia a se efficaci, quam voluntas dissensu suo posset reddere inefficacem & irritam: ergo.

Et hinc contendunt Lessius, Molina, Vasquez, & alii, ex his decretis, quae vocant inextinguibilia & plusquam adamantina, fatum induci, libertatem tolli, homines in desperationem induci, socordiam, teporem, & ignaviam hominibus afferri, studium virtutis retundi, inclinari homines ad dissolutionem vitae, laudem detrahi bonis operibus, orationes refrigerare & extingui, exhortationes & correptiones linguascescere & aufert, &c. Hanc doctrinam favere haereticis hujus temporis, idcirco dignum esse, ut per Ecclesiae censuram damnetur, vel potius jam damnata declaratur; nam licet non sub ea voce, sub aliis aequivalentibus jam damnata est; ut quod gratia necessitatem inducat, necessitas enim & praedeterminatio ad unum idem sunt tamquam definitio, & definitum. Ita Suarez quoad haec ultima verba in opere posthumo, *De vera intelligentia auxilii efficaci.*

Antequam respondeam, praemitto 1. haec omnia & alia similia petita ex lesione libertatis a Pelagianis & semi-Pelag. fuisse olim objecta Augustino, ut per singula probat noster Gregorius Disp. 5. de voluntate Dei art. 4. §. 2. & patet ex Ep. Prosperi ad Aug. ubi refert, Massilienses dicere, *hoc propositum vocationis... & lapsis curam resurgendi adimere. & sanctis occasionem teporis adferre: eò quod utraque parte superfluis labor sit...* Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam quod Deus definit, accidere. Ex istis: *Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humana praevenciat voluntates, & sub hoc praedestinationis nomine fatali quamdam induci necessitatem.* Item haec fere omnia sibi objicit & solvit S. Th. variis in locis. 1. p. q. 19. art. 8. q. 105. art. 4. 1. 2. q. 10. art. 4. q. 6. de verit. art. 3. & 5. & q. 23. art. 5. 3. contr. Gent. cap. 88. 89. 90. & 94. q. 6. de malo art. unico. q. 3. de potentia art. 7. & alibi. At verò si contra SS. Aug. & Thomae doctrinam eadem militent argumenta, quae mine objiciuntur contra Thomistarum doctrinam, necesse est esse utrinque eandem.

Praemitto 2. Et suppono tamquam certum, Deum esse causam efficientem nostrae libertatis, non solum potentialis, sed etiam actualis, id est, liberi actus & liberæ determinationis voluntatis. Id probavimus §. 3. & super. art. & ut pauca repetam. 1. Quia Deus est prima & universalissima causa totius entis & modorum entis, seu ut dicit S. Th. causa profundens totum ens & omnes ejus differentias, ita ut nihil sit in rerum natura existens, quod subterfugiat ejus causalitatem, consequenter nec nostra libertas actualis. 2. Quia libertas actualis est perfectio, potentia enim est propter actum & per illum perfectetur; imò est perfectio simpliciter simplex, urpote quae in Deo reperitur; & si agatur de libertate actuali in ordine salutis, est quid supernaturale. Quis autem negavit, hujusmodi perfectionem esse efficienter causatam & participatam a Deo libero per essentiam, fonte totius perfectionis & auctore totius supernaturalitatis? Non est verò Deus causa efficiens liberæ determinationis nostrae voluntatis per decretum indifferens; istud enim non datur, ut determinet voluntatem, alias secundum Adversarios libertatem lederet, sed ut concurrat cum ipsa dum ex se determinaverit; est namque indifferens ut concurrat ad consensum vel dissensum media determinatione voluntatis. Insuper ab indifferenti ut tali non potest magis procedere aliquid determinatum, quam frigidum a calido, vel album a nigro, ita ut, posito solo decreto indifferente, voluntas, quae etiam est indifferens ante suam determinationem, in aeternum maneret otiosa & suspensab ab actu. Restat ergo, quod Deus sit causa efficiens nostrae libertatis actualis per decretum determinans & motionem a se

V et-

